

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXI - N. 2

---

1989

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2  
Semestrale

DECEMBRI 1989

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

- Allocutio Summi Pontificis ad coetum quendam Advocatorum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, sodalium «International Academy of Trial Lawyers», coram admissum . . . . . 107
- Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab «Unione Giuristi Cattolici Italiani» celebrato interfuerunt, coram admissos . . . . . 109

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

- Decretum quo, ad Poenitentiae sacramentum tuendum, excommunicatio latae sententiae illi quicumque ea quae a confessario et a poenitente dicuntur vel per instrumenta technica captat vel per communicationis socialis instrumenta evulgat, infertur . . . . . 112
- Rescriptum ex Audientia SS.mi formulas Professionis Fidei et Iuris iurandi Fidelitatis contingens foras datur . . . . . 113

### SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

- Declaratio. De foro plerarumque probationum . . . . . 114
- Declaratio. De foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam . . . . . 117

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

- I. Coetus studii «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio II) . . . . . 119
- II. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio III) . . . . . 137
- III. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio IV) . . . . . 165
- IV. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio V) . . . . . 205
- V. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio VI) . . . . . 246
- VI. Coetus studii «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio VI) . . . . . 274
- \* \* \*
- Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . . 316
- Notitiae . . . . . 317
- Index Rerum Generalis . . . . . 319

## V

COETUS STUDII  
« DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS »

(OLIM « DE QUAESTIONIBUS SPECIALIBUS LIB. II »)

**Sessio VI**

(diebus 9-13 novembris 1970 habita)

Diebus 9-13 novembris 1970, in Aula huius Pontificiae Commissionis, habita est VIa Sessio Consultorum, qui Coetum studiorum efformant ad recognoscendas normas « de personis physicis et moralibus » (olim « de quaestionibus specialibus Lib. II »).

In conventibus partem habuerunt Rev.mi duo et Ill.mus unus Consultores.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris Functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a Studiis Commissionis, acta redegit.

In aliquibus conventibus partem habuit Em.mus D.nus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Quaestio, in hoc studiorum coetu tractanda, praevisa erat: De potestate ordinaria et delegata, cann. 196-210 CIC.

Ineunte Sessione, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut, antequam gresus fiat ad disceptationem de potestate ordinaria et delegata, textus canonum Tit. IV de officiis ecclesiasticis perlegantur.


In textus lectione canonum Tit. IV, qui iam recogniti et adprobati fuerunt, haec, quae sequuntur, mutationes inductae sunt.

## Tit. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

## Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Can. 4, § 2, loco « Officiis ecclesiasticis », dicatur « Ad officia ecclesiastica » (Secretarius Ad.); post « seclusa », ponatur « ; » et adiungatur « canonice praesentato aut electo, qui idoneus sit, institutio aut confirmatio denegari nequit » (primus Consultor).<sup>1</sup> - Placet.

<sup>1</sup>Ad vitandas difficultates quae iam in antea Sessione 5a exortae sunt circa locutionem « idoneus » vel « magis idoneus » (cfr. Relationem Sessionis 5ae, pp. 7-9: cfr. *Communicationes*, 21 [1989] 210-212).



*Can. 6:* loco « lege speciali », ponatur « iure »; lex specialis enim est ea quae pro coetibus particularibus fit et legi generali opponitur (secundus et tertius Consultores). Placet.

*Can. 7, § 2:* post discussionem de convenientia mentionem in textu faciendi de auctoritate quae clausulam derogatoriam ponere potest, omnibus rite perpensis, convenitur ut verba « clausula adiiciatur derogatoria » substituantur cum « nisi in litteris provisionis mentio prioris officii habeatur » (cfr. Relationem Sessionis 5ae, pag. 12 [cfr. *Communicationes* 21 (1989) 214-215]).

*Can. 10:* loco: « in nominatum » dicatur « in provisum », quia hoc valet pro omnibus provisionis modis (tertius Consultor). Placet.

*Can. 11:* dicatur « scripto fiat et in actibus Curiae consignetur » (tertius Consultor). Placet.

*Can. 12:* ex difficultate quam Rev.mus tertius Consultor movet, Rev.mus Secretarius Ad. textum, qui sequitur, proponit: « Salvis normis quibus aliud iure statuatur... officii ecclesiasticis in Ecclesia particulari ipsi commissa ». Terminologia Codicis hoc modo magis adaequatur ad illam qua Decretum *Christus Dominus* usus est. Placet.

*Cann. 14-14bis:* ex propositione Rev.morum tertii et primi Consultorum in unum redigantur, ita ut can. 14 fit § 1 et can. 14 bis par. 2, demptis verbis « nisi aliter... provisum fuerit », secus canones qui sequuntur essent tantum subsidiarii. Ubi necessitas vel utilitas vel opportunitas postulabit, mentio erit de iure particulari et de statutis. Statuta, enim, semper ius universale respicere debent, secus per statuta totum ius evanesceret. Placet.

*Can. 15:* post « officii » adiungatur « salvo iure particulari ».

*Can. 16, § 1:* ex suggestionem Ill.mi secundi Consultoris, loco « ad collegium aut coetum pertinentes », dicatur « omnes suffragium habentes ». Placet. Ex propositione Rev.mi tertii Consultoris deletur verbum « electoribus », ne res ab electoribus pendeat, quod locum dare potest inconvenientibus. Placet.

*Can. 20:* ex suggestionem Ill.mi secundi et Rev.mi tertii Consultorum redactio canonis hoc modo mutetur: « Si quoquo modo libertas electionis impedita fuerit, applicetur can. 4 », ut sermo fiat potius de electione ipsa quam de electoribus, ne difficultates in praxi multiplecentur. Placet.

*Can. 21, § 1, 4<sup>o</sup>:* tollantur verba « de quibus canonibus... » Placet.

*Can. 22: § 1, 2°:* verbum « certum » ponatur post « determinatum » (tertius Consultor). Placet.

*Can. 23 (CIC 170):* canon supprimitur ex omnium opinione concordi. Nam hodie electiones supra electiones fiunt et in electionibus democraticis quis potest sibimetipsi suffragium dare. Notatur insuper Ioannem XXIII pro electione Summi Pontificis hanc praescriptionem abrogavisse. Ceterum est res semper difficilis probationis et quam maxime odiosa. Ideoque saltem ad validitatem res adhuc non sustinetur, sed si non est ad validitatem, melius est ut omnino supprimatur.

*Can. 24 (CIC 171):* qui nunc fit can. 23. In § 2 loco « scrutentur », dicatur « diribeant ».

*Can. 24 (novus)*

§ 1. Si ad normam iuris aut statutorum Collegii aut coetus, electio per epistulam fieri valeat:

1° singuli electores suffragium ferant in schedula ad hoc sibi missa;

2° provideatur ut constet suffragia ab electoribus ipsis lata esse utque secretum suffragationis servetur; quare, nisi aliud statutis determinetur, electores schedulam immittant in involucrio, propria subscriptione munito;

3° schedulam mittant Collegii aut Coetus Praesidi, ante terminum ab eodem praefinitum; quo termino elapso, suffragium non admittetur;

4° suffragia diribeantur coram Collegii aut Coetus Praeside a scrutatoribus ad normam statutorum designatis;

5° exitu suffragationis obtento, epistulae collectae ac sigillo munitae per annum saltem serventur.

§ 2. Si querelae moveantur ab electoribus ex suspecto dolo in suffragiorum expensione, coram Collegii aut Coetus Praeside aperiantur involucria recognoscanturque schedulae, praesentibus saltem electoribus qui querelam moverunt.

Huius canonis textus a Rev.mo Secretario Ad. redactus est, ex Rev.mi tertii Consultoris petitione in antea Sessione praesentata et ex ceterorum Consultorum suggestionem; saepissime, enim, hodie conveniens est ut per epistulam electiones fiant et ideo necesse est aliquas condere normas.

*Can. 25 (novus)*

Si ad normam iuris electio facienda sit a certa populi christiani parte, auctoritatis competentis est statuere normas quibus procedendi modus ordinetur, ea quidem lege ut:

1° elenchus eorum quibus ius est suffragium ferendi componatur publiceque notus fiat;

2° suffragantium libertas in suffragio ferendo tuta habeatur;  
3° de singulorum latis suffragiis secretum caute servetur;  
4° suffragiorum diribitio exitusque determinatio secundum rerum veritatem, quibuscumque exclusis insidiis, perficiantur.

Propter supra oblatas rationes, ex suggestione Ill.mi secundi Consultoris, Rev.mus Secretarius Ad. normam proponit pro electionibus quae saepe hodie fiunt a certa populi christiani parte, ex.gr. paroecia, dioecesi, etc. Placet.

*Can. 26* (CIC 172) olim can. 25: in § 1 supprimantur verba « unum vel plures » quia si est unus, amplius non est electio (Secretarius Ad.). Placet. In § 3 particula « nisi » tollatur. Placet.

*Can. 28* (CIC 174) olim 27: in fine textus « ad normam can... » adiungatur numerus « 7 »: agitur de canone 7 de personis iuridicis (cfr. Relationem Sessionis IVae p. 54) [Cfr. *Communicationes* 21 (1989) 194].

*Can. 29* (CIC 175) olim 28: in § 1 post « qui » inseratur expressio « nisi aliud iure particulari aut statutis provideatur ». Placet. In § 2 dicatur « Si electus... ex electione amittitur... convalescit; ipse rursus... electionem procedat ». Placet.

*Can. 30* (CIC 176) olim 29: § 2 transferatur uti § 4 sequentis canonis. Placet.

*Can. 31* (CIC 177) olim 30: In § 1 loco « petere... debet » dicatur « petat ». Placet. § 2 supprimitur cum eadem norma habeatur in superiori can. 4, § 2. Placet. Paragraphi 3 et 4 fiunt respective 2 et 3; in hac ultima, loco « in officium » dicatur « in officio ». Placet.

### Art. III - DE POSTULATIONE

*Can. 35* (CIC 181) olim 34: § 1 textus hoc modo mutatur:

« Postulatio intra octiduum mittatur auctoritati competenti cuius est electionem confirmare; quae, si dispensandi facultatem non habeat dispensationem ab auctoritate superiore petat; si non requiratur confirmatio, postulatio mittatur auctoritati competenti ad dispensationem concedendam ». Placet.

Redactio § 3 textus sic se habet: « Postulato nullum ex postulatione ius acquiritur; auctoritas competens nulla obligatione tenetur postulationem admittendi ». Placet.

In § 4, post. « nisi », inseratur « eadem ». Placet.

*Can. 36* (CIC 182) olim 35: in § 2 loco « respondere debet », dicatur « respondeat ». Placet.

## Caput II - DE AMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Ex concordi Consultorum opinione utile est canonem addere qui de lapsu temporis praefiniti agat et iste officii ecclesiastici amittendi modus concreditus sit ipso facto elapsi temporis, potius quam intimationi ab auctoritate faciendae post exactum tempus. Est res minus odiosa. Ideo post can. 1, qui sequitur textus inseritur sub titulo « *De lapsu temporis* » et fit can. 2 (novus):

« Is, cui ad tempus praefinitum, officium ecclesiasticum collatum fuerit, elapso hoc tempore officium amittit, nisi in eodem iam confirmatus fuerit ».

Placet.

Circa n. 2 « *De emeritis* » mutatur titulum in « *De expletione aetatis* ».

## 3. DE RENUNTIATIONE

*Can. 6* (CIC 186-187-189-191) olim 5: in § 3 loco « *sortiri valeat* » dicitur « *sortiatur* ». Placet.

## 4. DE TRANSLATIONE

*Can. 8* (CIC 194) olim 7: in § 1 substituatur « *habitam* » cum « *captam* ». Placet.

In § 2 redactio textus hoc modo mutatur: « *Remunerationem priori officio adnexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonicè capiat* », quia redditus potius systema beneficiale respiciunt. Placet.

## 5. DE AMOTIONE

*Can. 9* (olim 8): textus recognitus hoc modo se habet: « *ab officio... ad normam iuris, ... sive ipso iure* ».

*Can. 11* (olim 10): in § 1, n. 3<sup>o</sup>, post « *salvo canone* » indicetur « *salvo canone 7, § 2* », ubi de clausola derogatoria mentio fit (Cap. I - De provisione officii ecclesiastici).

Remanet suggestio a Rev.mo tertio Consultore facta ut aliquid dicatur de praesentatione, quae a pluribus fit. Sunt, enim, praesentationes quae non tantum a patrono, sed etiam a Superioribus Religiosis fiunt; et adest, insuper, praesentatio popularis, illa quae fit a coetu personarum etc... Sal-

tem dicendum est, instat idem Rev.mus Dominus, quod si ius praesentationis ad aliquem coetum spectat, vel partem populi christiani, hoc ius exercetur per modum electionis, si vero ius pertinet ad aliquam personam physicam etc. aliquae normae ponantur (cfr. etiam Relationem Sessionis Vae, pp. 6-7: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 209-210).

#### DE POTESTATE ORDINARIA ET DELEGATA (cc. 196-210)

In recognitione huius materiae necesse est prius ordo rerum dicendarum prae oculis habere, animadvertit Rev.mus Secretarius Ad., ita ut aliquod conspectum generale resultet.

In Ecclesia, recolet Rev.mus Relator, duplex distinguitur potestas: illa quae relationes inter homines et illa quae relationem inter homines et Deum regulat; id est potestas propria quae est Ecclesiae uti societas et potestas ministerialis, seu vicaria, quam nomine Dei Ecclesia exercet, et vi cuius, ex.gr., Summus Pontifex dispensat in lege divina sicuti in casu de matrimonio rato et non consummato, de dispensatione a votis.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit num non expediat distinctionem de qua supra in novo Codice introducere. Rev.mus tertius Consultor a sententia Rev.mi Secretarii Ad. discrepat: omnis in Ecclesia potestas a Christo Domino provenit, prout caput Ecclesiae; Ecclesia est semper communio supernaturalis et etiam res naturalis semper debet quodammodo baptizari. Concilium Vaticanum II de complexa realitate loquitur.

Ne tamen disceptatio difficilior evadat quam oporteat, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut canones Codicis legantur et observationes animadversionesque fiant ita ut labor hodiernus orientativum characterem prae se ferat.

Em.mus Card. Praeses animadvertit hanc materiam, quae magni est momenti, tractari debere a Consultorum coetu qui numerosior sit. Respondit Rev.mus Secretarius Ad. pro nunc sufficere rerum dicendarum ordinem statuere sed in prosecutione temporis coetum necessario amplificari debere.

Fit itaque gressus ad canones Codicis considerandos.

#### *Canon 196 CIC*

Textus canonis, notat Rev.mus Secretarius Ad., mutari debet quia in historia potestas iurisdictionis semper iudicialis est. Loquendum est potius de potestate regiminis — quae etiam iurisdictionis dicitur —. Rev.mus primus Consultor non habet difficultatem dummodo potestas regiminis,

in suo sensu generaliori, etiam potestas magisterii comprehendat; id est, duplex munus regendi et docendi. Notat tamen Rev.mus Secretarius Ad. pro munere docendi non dari proprie delegationem.

Rev.mus tertius Consultor petit ut titulus ipse mutetur quia in ipso sunt res quae cum titulo de potestate ordinaria et delegata non cohaerent.

Ill.mus secundus Consultor tenet distinctionem potestatem ordinariam (propriam et vicariam) inter et delegatam superandam esse, et oporteret ut nova conceptio proponeretur, relinquendo modum loquendi Codicis.

Aliquae ideae canonisticae - iuxta mentem eiusdem Ill.mi Viri -, sicut, ex.gr. advocatio potestatis, evanuerunt. Sicut per officii ecclesiastici notionem omne systema renovatur, ita fieri debet pro systemate potestatis. Officium, ut dictum est, est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum, ideoque ratio haberi debetur loquendo de facultate, ex eo quod etiam officio non necessario coniungitur potestas. Notio officii est notio «institutionalizationis» in Ecclesia exercitii potestatis. Hodie officium uti «munus», «servitium», «incarico» amplius non inservit pro potestatis exercitio explicando. Potest tamen inservire — replicat Rev.mus Secretarius Ad. — quia officium datur etiam sine potestatis exercitio. Officium, insuper, ait Ill.mus secundus Consultor, uti organum assumitur et ideo necesse est non tantum de officiis agere sine potestate, sed etiam de potestate quae est de Ecclesia et in Ecclesia, cuius titulares non sunt tantum personae: id est, superanda est notio personalis ita ut aspectus institutionalis sublimetur.

Rev.mus tertius Consultor replicat officium ecclesiasticum a iure constitui et ordinari. Oppositio non datur inter aspectum institutionalem et personalem, sed tantum distinctio.

Ill.mus secundus Consultor instat distinctionem inter potestatem ordinariam et delegatam nihil aliud esse nisi transmissionem partis competentiae organi ad aliquam personam (cum aliqua potestate - tertius Consultor), (est quaestio an pars exercitii vel pars potestatis transmittatur - Secretarius Ad.), ita ut delegatio est modus, vel relatio sese habendi inter organa Ecclesiae et hoc modo inspectio, advocatio causae, etc., explicantur.

Sed hoc — respondit Rev.mus tertius Consultor — unus aspectus tantum est totius rei; nam relationes adsunt inter Ecclesiae organa et ipsas Ecclesiae personas.

Quaerit insuper Ill.mus secundus Consultor an distinctio inter potestatem propriam et vicariam adhuc retinenda sit. Affirmative respondent coeteri Consultores.

Ill.mus secundus Consultor proponit, demum, ut distinctio inter pote-

statem voluntariam (quae hodie vix intelligitur) et iudicalem supprimatur. Respondit Rev. mus Secretarius Ad. per potestatem voluntariam intelligi potestatem, quae in non invitos exercetur.

Rev. mi tertius et primus Consultores replicant quod modo practico coetus debet procedere, prae oculis habita Ecclesiae praxi in luce Concilii, neque expedit canonistarum theorias recolere; nisi prout utiles sint.

Rev. mus Secretarius Ad. notat, e contra, aliam distinctionem introducendam esse, nempe, distinctionem inter potestatem legislativam, executivam et iudicalem, ita ut habeatur quod nomine ordinarii in iure intelligatur qui saltem potestatem executivam habet. Hoc modo etiam Superiores Maiores religionum non exemptarum ordinarii sunt. Caderet ergo notio potestatis publicae, semipublicae, etc...

Rev. mus tertius Consultor notare vult quod etiam Vicarii Generales, Vicarii Episcopales et Officiales, qui unam ex tribus Episcopi potestatibus possunt non participare, sunt ordinarii, quia speciali a legislatore gaudent deputatione.

Quoad ipsum titulum, Rev. mus Secretarius Ad. aliquas ponit quaestiones et quaerit num non expediat sermonem fieri tantum de potestate regiminis, an etiam de potestatis regiminis exercitio; aut loco potestatis iurisdictionis loquendum sit de potestate regiminis quae etiam iurisdictionis vocatur.

Et insuper an supprimenda sit, vel non, locutio « fori conscientiae », cum ansa difficultatibus et erroribus praebat; vel dicendum sit quod pro foro interno et externo, aut tantummodo pro interno exercetur.

Formula, qua Codex utitur, notat Rev. mus tertius Consultor, « alia... alia » est nimis oppositiva. Concordat Rev. mus Secretarius Ad. qui animadvertit eandem esse potestatem quae variis modis exercetur.

Rev. mus Secretarius Ad. refert sententiam Rev. mi cuiusdam Consultoris, qui in suo voto scripto petit ut locutio « ex divina institutione » supprimatur. Non consentit Rev. mus primus Consultor.

Circa suppressionem locutionis « fori sacramentalis et extra-sacramentalis » omnes concordant, tamen in rationibus non conveniunt Rev. mi primus et tertius Consultores, quia quae in sacramento exercetur est potestas ordinis, et ideo in exercitio potestatis quae pro foro sacramentali exercetur, duo elementa sunt praesentes: potestas sive ordinis sive iurisdictionis.

Determinandum insuper est quid intendi debeat, animadvertit Rev. mus Secretarius Ad., pro foro externo et quid pro foro interno, an scilicet actus valeat tantum pro persona cui dirigitur, et non quoad alios.

Distinctionem inter forum externum et internum saepe falsam esse, sustinet Rev. mus tertius Consultor, qui tenet distinguendum esse potius

inter Ecclesiae actiones et effectus actionis, ita ut eadem potestas Ecclesiae pro foro externo et interno sacramentali et extra-sacramentali operatur.

Rev. mus Secretarius Ad. sustinet potestatem pro foro interno sacramentali esse tantum potestatem ordinis, quod negat Rev. mus tertius Consultor, iuxta quem actio Ecclesiae in foro interno bonum privatum personarum physicarum, quae ad Ecclesiam recurrunt, respicit.

Hoc, prosequitur Rev. mus tertius Consultor, etiam historice probatur et potest fieri sermo de vera « polaritate ». Quoad effectus: si Ecclesia in foro interno operatur, minime est tantum ad conscientiae consulendum; actus in foro interno positus quodammodo effectus in foro externo habet. Sicuti, ex. gr., in casu dispensationis impediendi dirimentis occulti, sic, quandoque in poenarum absoluteione.

Rev. mus primus Consultor notat agi de effectu conditionato pro foro externo, si recognoscitur.

Animadvertit Rev. mus Secretarius Ad. quod esset nimis dicere « pro foro interno » ita ut pro foro externo non valeat. Melius est dicere quod effectus non habet quoad alios, nisi in quantum iuridice recognoscitur, aut saltem aliis notum non fiat. Sicuti accidit, notat Rev. mus tertius Consultor, pro matrimonio conscientiae. Tamen, adiungit Rev. mus primus Consultor, in casu citato agitur de actu potestatis pro foro externo posito, etsi cum obligatione secretum servandi. Et revera sunt casus conflicti fere indissolubilis inter forum internum et externum.

Agitur ideo, concludit Rev. mus Secretarius Ad., de actibus pro foro interno positus, ita quidem ut effectus in foro externo, erga alios, non recognoscuntur, nisi in quantum iuridice firmentur. Ill. mus secundus Consultor subiungit quod prae oculis habenda sunt principia directiva a Synodo Episcoporum approbata ubi de foro interno et externo agitur.

Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut ea quae in can. 202 continentur ut § 2 can. 196, etsi alio modo exprimenda, ponantur; scilicet: actus potestatis regiminis positus pro foro externo valet quoque pro foro interno, non autem e converso.

Res tamen pacifice ab aliis non accipitur, quia distinctione inter forum internum et externum conflictus redditur perennis et consequenter calamitas confusionis inter forum externum et forum internum uti forum conscientiae.

Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut omittatur ex eo quod omnis actus pro foro externo posito, cum persona sit externe posita, de se etiam pro foro interno valet, et obligatio iuridica de se etiam obligationem moralem secumfert.

Demum Rev. mus Secretarius Ad. notat quod haec quae de potestate

regiminis dicentur rectius et aptius in normis generalibus locum habere deberent.

Omnes Consultores tenent distinctionem inter potestatem ordinariam et delegatam conservandam esse. Ill. mus secundus Consultor, tamen, insistit, iuxta superius dicta, ne potestas nimis personalis evadat; nam ipse argumentatur potestatem ordinariam, modo hucusque recepto, eam esse quae ipso iure est adnexa officio, ideoque consequenter omnem potestatem adnexam esse officio, attamen non omne officium sibi adnexam potestatem habere.

Alii Consultores ex adverso argumentantur potestatem esse utique officio adnexam et per collationem personae adhaerere: institutionaliter adnexam et officii propriam.

Rev. mus Secretarius Ad. suggerit ut dicatur quod potestas ordinaria est ea quae adnexa est ipso iure officio; delegata ea quae, per actum particularem ab aliqua persona cum alia communicatur, non autem ratione officii (vel: non mediante officio).

Rev. mus tertius Consultor proponit ut dicatur: delegata ea est potestas, quae alio modo alteri personae communicatur.

In discussione redit quaestio de delegatione a iure, quod omnes, Rev. mo tertio Consultore excepto, amplius non admittere declarant (etiam novae officii notionis causa atque considerato quod de ea numquam in Codicibus civilibus sermo fit, uti in suo voto Rev. mus primus Consultor de hac re habet).

Rev. mus Secretarius Ad. discussionem resumit et proponit formulam quae sequitur: « Potestas ordinaria est ea quae ipso iure aut decreto adnexa est officio (vel: communicatur officio); delegata quae per actum particularem, non mediante officio cum certa persona (vel: certae personae) communicatur ». Hoc modo ipsi videtur in novo Codice amplius delegationem a iure admissa non esse, quia notio officii mutata est.

Rev. mus Secretarius Ad. notat quod in formula proposita verbum « decreto » adiunxit, quia ex § 1 can. 1 de officiis ecclesiasticis, censenda est ordinaria etiam illa potestas quae officio conectitur quod per decretum constituitur et simul confertur. Quod tenent etiam alii.

Ideo haberemus, observat Rev. mus primus Consultor, quod potestas ordinaria ea est quae adnexa est officio et delegata quae officio non est adnexa.

Rev. mus tertius Consultor insuper animadvertit quod, etsi amplius in novo Codice delegatio a iure non est admittenda, tamen aliquae factispecies huius delegationis remanere debent, sicut accidit pro can. 882, in quo classicum exemplum delegationis a iure habetur, quae per actum particularem non fit, neque mediante officio. Ideo proponit ut in formula proposi-

ta a Rev.mo Secretario Ad. verba «per actum particularem» deleantur. Hoc modo delegatio a iure in Codice manet.

In fine Ill.mus secundus Consultor quaerit num non expediat, rebus sic stantibus, distinctionem inter potestatem ordinariam et delegatam servare. Alii Consultores firmiter servandam esse tenent: figura enim potestatis delegationis, fere oblita, hodie frequentissime praesentatur, sustinet Rev.mus tertius Consultor.

Tandem aliquando Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an Rev.mi cuiusdam Consultoris suggestio admittenda sit, quae in suo voto scripto profertur, ut deleantur, scilicet, verba «ex divina institutione». Potestas enim Ecclesiae propria haud secus ac potestas vicaria exerceri potest sive in foro externo sive in foro interno.

Consultores tenent locutionem servandam esse non ex eo quod unaquaeque potestas in Ecclesia habeatur ex divina institutione, sed tamquam potestas quae propria est Ecclesiae.

Omnes concordant ut res remaneat sicuti iacet.

#### *Canon 197 CIC*

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit num non expediat ambitus potestatis propriae et potestatis vicariae determinare. Non necessario ambitus est definiendus, omnis enim definitio in iure est periculosa, recolet Rev.mus tertius Consultor. Relinquitur igitur, ex sententia omnium, textus uti est.

#### *Canon 198 CIC*

§ 1: Omnes concordant in numeratione supprimenda. Hodie dici debet — animadvertit Rev.mus tertius Consultor — quod nomine ordinarii in iure veniunt «omnes qui Ecclesiae particulari sunt praepositi».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in novo canone (197 bis) dicatur: «Omnes qui, Ecclesiae particulari praepositi, in eadem potestate legislativa, aut saltem executiva, pollent». Tamen in eodem canone (197 bis) oportet prius dicere quod potestas regiminis in potestate legislativa, executiva et iudiciali distinguitur et postea de Ordinariis. Ideo textus qui sequitur Rev.mus Secretarius Ad. proponit: «Nomine ordinarii in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque ambitu, ii qui, si-ve definitive sive ad interim, praepositi sint Ecclesiis particularibus aut communitatibus eisdem aequiparatis, ad normam can. ...; necnon qui in iisdem potestate executiva gaudent, nempe Vicarii Generales et Episcopales; itemque pro suis sodalibus Superiores Maiores qui in Instituto perfectionis clericali potestate saltem executiva pollent».

Rev.mus Secretarius Ad. «notam» recolet quae a Coetu de normis ge-

neralibus facta est in Sessione IVa (cfr. Relationem Sessionis IVae illius coetus, [cfr. *Communicationes* 19 (1987) 104-105]). Nota ita sonat: « Ad can. 2 (81), § 2 - In votis est coetus « de normis generalibus », ut deinceps in iure nomine Ordinarii veniant etiam Superiores Maiores in religionibus clericalibus non exemptis, quippe qui in iure condendo potestate executiva, scilicet ad actus administrativos ponendos, instrui possunt relate ad suos subditos. Quod si huic voto non obsecundetur, can. 2 § 2 complendus est verbis: « ...omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem *ne non Superiores Maiores in Institutis religiosis clericalibus aliisque eisdem aequiparatis...* ».

Amplius insuper ne adhibeatur expressio « pro suo quisque territorio », quia multa officia characterem territorialem non prae se ferunt. Neque adhibenda est locutio « pro populo sibi commisso »: neque « pro ambitu suae competentiae »: competentia et potestas ab ambitu dependent, ideoque tautologia esset. Neque, in fine, sermo est faciendus de Administratoribus, uti praepositis, quia illa Administratoris est figura singularis et non communis.

§ 2: uti est sufficit.

#### *Canon 199 CIC*

§ 1: mentionem oportet facere — animadvertit Rev. mus Secretarius Ad. — quod, nisi in casibus iure determinatis, potestas legislativa nequit delegari.

Ill. mus secundus Consultor insistit ut potestatis iudicialis delegatio indiscriminata vitetur et sollemne habeatur quod iudicialis potestas delegari nequit, ne totus ordo iudicialis subvertatur. Observat, tamen, Rev. mus tertius Consultor Signaturam Apostolicam, praxi a saeculis tradita, tribunalia delegare ordinarie, quae uti tribunalia tertiae instantiae funguntur. Et est vera delegatio. Ill. mus secundus Consultor proponit ut nihil de potestatis iudicialis delegatione dicatur.

Ideo Rev. mus Secretarius Ad. proponit textus qui sequuntur:

1) « Potestas legislativa delegari non potest, nisi in casibus iure determinatis ».

2) « Ad potestatem iudicalem quod attinet applicentur normae de iure de processibus ».

3) « Ad potestatem executivam quod attinet serventur normae quae sequuntur ».

Ideoque placet: can. 199, § 1 ut servetur.

§ 2. ut remaneat — § 3: ut remaneat sicuti est, intelligendo tamen quod « universitas negotiorum » sit delegabilis ex parte, sed pro omnibus

casibus — § 4.: ut deleatur inde a verbis « sed articulum... » quia non agitur de delegatione — § 5: ut remaneat uti est.

Rev.mus primus Consultor tenet, contra ea quae in voto scripto protulit, saltem pro aliquibus casibus, servari debere potestatem delegatam a iure.

#### *Canon 200 CIC*

§ 1: Placet ut substantialiter maneat, alio tamen modo res exprimantur. Tollatur verbum « iurisdictionis » et loco « non posset » dicatur « nequit ».

Rev.mus primus Consultor notat responsum adesse Pontificiae Commissionis pro Codice interpretando iuxta quod isti canones applicantur etiam potestati dominativae publicae. Sed potestas publica — animadvertit Rev.mus Secretarius Ad. est potestas quae ad bonum commune dirigitur, ideoque, fine finaliter, potestas est iurisdictionis. Introducinga est quasi deus ex machina, sed nihil vel fere resolvit. Observat tamen Rev.mus tertius Consultor aliquam distinctionem necessariam esse, quia non omnem potestatem iudicalem et executivam laici habere possunt, sed tantum aliquam participationem ad normam iuris. Concordant alii, excepto Ill.mo secundo Consultore, qui tamen non insistit.

§ 2: evidens est: potest etiam non dici vel omitti.

#### *Canon 201 CIC*

§ 1: Norma uti iacet, animadvertit Rev.mus tertius Consultor, est dubia et interpretatio perdifficilis. Difficultas ex vocabulo « directe » maxime provenit, quia « directe » personis particularibus respectum dicit, dum lex, caractere suo, est generalis et pro omnibus lata. Norma § 1 contradicitur in § 3, notat Rev.mus Secretarius Ad., qui aliquam novam pro hac materia ordinationem proponit. — Iuxta mentem Rev.mi Secretarii Ad. agendum est: 1) de potestate legislativa: de legibus et consuetudinibus. 2) de potestate executiva: et de omnibus, quae ad eam sese referunt. 3) de potestate iudiciali: et de omnibus quae ad iudicium sese referunt.

Rev.mus tertius Consultor vult ut dicatur quod organa quibus potestas tantum est executiva, semper legitime, id est secundum legem, agere debent. Insuper etiam decreta generalia ab organis administrativis tantum, si habeatur delegatio a legislatore, fieri possunt.

Tamen, notat Rev.mus Secretarius Ad., in § 1 huius canonis agere tantum de potestate executiva. Et quaerit circa vocabulum « subditos » eiusque definitionem, recolendo ea quae in coetu de normis generalibus acta sunt (cfr. Relationem originalem Sessionis IVae illius coetus, p. 61, can. 6) [cfr. *Communicationes* 19 (1987) 105].

Haec canon citatus habet: « Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet, etiam extra territorium existens, in subditos, licet e territorio absentes atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes ».

Rev.mus primus Consultor subiungit rem ideo hic superfluum esse cum iam in canonibus de dispensatione provisum sit.

Rev.mus tertius Consultor notat in potestate executiva distingui debere voluntariam et non voluntariam potestatem, quae fit scilicet in invitos, et nulla haberi in Codice de potestatis executivae exercitio in invitos.

Rev.mus Secretarius Ad. potius quam « voluntariam » praefert ut « gratiosa » dicatur, dum Rev.mus primus Consultor vice « non voluntaria » praefert « cogens »; « coercens » (Secretarius Ad.). Differentiam inter « gratiosa » et « coecerns » introduci debere in Codice, animadvertit Rev.mus Secretarius Ad., saltem dum alia terminologia, quae forte sit melior, inveniatur, notat Rev.mus primus Consultor.

§ 2: applicanda est ad potestatem gratiosam.

§ 3: deleatur expressio « seu non iudicialis » et adiungatur « in peregrinos », et « in territorio actu degentes ». Concordant omnes.

Ideo potestatis gratiosae modi exercitii, animadvertit Rev.mus Secretarius Ad., sunt: *a*) in proprium commodum; *b*) extra territorium; *c*) in absentem subditum; *d*) in peregrinos actu degentes in proprio territorio.

Potestas coercens exerceri potest: *a*) ratione ordinis publici, *b*) ratione contractus, *c*) ratione rei sitae, *d*) in subditos in proprio territorio existentes.

#### *Canon 202 CIC*

§ 1: placet ut deleatur.

§ 2: placet ut nihil dicatur.

§ 3: potest simpliciter dici in can. 1 (196) « potestas intelligitur concessa pro foro externo simul et interno, nisi aliud expresse... ». Rev.mus tertius Consultor proponit formulam quae sequitur: « Potestas pro foro externo collata semper valet etiam pro foro interno ». Tamen post aliquam disceptationem omnes conveniunt in suppressione § 3. Ideoque totus can. 202 cadit.

#### *Canon 203 CIC*

§ 1: potest remanere.

§ 2: quoad substantiam potest remanere.

*Canon 204 CIC*

§ 1: potest remanere, sed addendum est « nisi exceptiones statuatur », vel « salvis canonibus de rescriptis ».

§ 2: debet remanere; tollatur « attamen ».

*Canon 205 CIC*

§ 1: cum valeat tantum pro iudicibus potest cadere.

§ 2: valet tantum de iudicibus — contendunt Rev.mi primus et tertius Consultores —, quod negat Ill.mus secundus Consultor. Tamen, potest remanere, notat Rev.mus Secretarius Ad., sed rem alio modo exprimenda est. Ex.gr. dicatur quod « Pluribus collegialiter delegatis secundum regulas de actibus collegialibus... ». « Si res aliqua commissioni committitur decernenda et non omnes sunt praesentes commissioni... »: aliquae regulae hae pro casibus praevideantur.

Et ita pro aliis paragraphis.

*Canon 206 CIC*

Post contentionem an canon iste sit ad validitatem vel non, omnes, cum res dubia maneat, concordant ut dicatur « Ille negotium expediat qui antea... ».

*Canon 207 CIC*

§ 1: debet remanere.

Rev.mus tertius Consultor quaestionem movet ex eo quod in Codice nihil de acceptance ex parte eius qui delegatur dicitur. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. delegationem ut valeat acceptance non indigere.

§ 2: potest manere, dicatur tamen « pro solo foro interno concessa ».

§ 3: valet tantum de iudicibus, ergo cadit.

*Canon 208 CIC*

Iam hac de re sermo factus est et dici non debet quod potestas ordinaria, amisso officio, amittitur, quia evidens est eam cum officio acquiri et amissione officii amitti. Potius restringatur ad potestatis suspensionem ordinariae quae ab officio suspensionem supponit pro qua legitima appellatio seu recursus interponitur.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit: « Recursus administrativus ad Superiorem contra decretum effectum habet quod decre-

tum inferioris non suspendit nisi in casibus iure expressis », vel « nisi expresse aliud statuatur ». Concordant alii. In ordine iudiciali vero, notat Rev.mus tertius Consultor, appellatio valorem habet suspensivum.

*Canon 209 CIC*

Est quaestio, notat Rev.mus Secretarius Ad., de qua in aeterno loqui possumus. Videatur proxima vice.

*Canon 210 CIC*

Haec in suo voto scripto habet Rev.mus primus Consultor:

« *Quoad can. 210, scilicet quoad demandationem potestatis ordinis, forte haec dici possunt: Notio officii, ad mentem Concilii Vaticani II, non videtur excludere quod officium ecclesiasticum consistit in iure et obligatione exercendi, aliquo loco et tempore, potestatem ordinis, ex.gr. celebrandi missam horis determinatis in aliqua ecclesia. (Cfr. ROBLEDA O., o.c., 122 ss.). Hisce suppositis, textus can. 210 hic esse possit:*

Exercitium potestatis ordinis, adnexum officio vel personae commissum, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum ».

Cum haec dicta sint fini Sessioni imponitur.

Romae, die 13 novembris 1970

M. DE NICOLÒ  
*Adiutor a studiis*

## APPENDIX

## CANONES RECOGNITI ET APPROBATI

## Tit. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

## Canon 1 (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spirituales exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

## Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

## Canon 2 (CIC 147)

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici ad normam sacrorum canonum.

## Canon 3 (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio ad normam sacrorum canonum peracta, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

## Canon 4 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universali vel particulari aut lege foundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Ad officia ecclesiastica nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione

seclusa; canonicè praesentato aut electo, qui idoneus sit, institutio aut confirmatio denegari nequit.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universali vel particulari aut lege foundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse ad validitatem exigantur, valida est, sed irritari potest sive per sententiam iudicis sive per decretum auctoritatis competentis.

*Canon 5 (CIC 154)*

Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secumfert, clerico sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvo praescriptis can... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

*Canon 6 (CIC 155)*

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit iure praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

*Canon 7 (CIC 156)*

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet, irrita est, nisi in litteris provisionis mentio prioris officii habeatur.

*Canon 8 (CIC 150)*

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio non nisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

*Canon 9 (CIC 151)*

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

*Canon 10* (CIC 158)

Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in provisum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

*Canon 11* (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto fiat et in actibus Curiae consignetur.

## Art. 1 - DE LIBERA COLLATIONE

*Canon 12* (CIC 152)

Salvis normis quibus aliud iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario Generali et Vicario Episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in Ecclesia particulari ipsi commissa.

*Canon 13* (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis, nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

*Canon 14* (CIC 160)

§ 1. Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 decembris 1945 et M.P. Ioannis XXIII *Summi Pontificis electio*, 5 septembris 1962.

§ 2. In coeteris electionibus canonicis servantur praescripta canonum qui sequuntur.

*Canon 15* (CIC 161)

Si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii, salvo iure particulari; quo termino inutiliter elapso, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

*Canon 16 (CIC 162)*

§ 1. Collegii aut coetus praeses, statuto modo, loco ac tempore convenienti, convocet omnes suffragium habentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii, vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

*Canon 17 (CIC 163)*

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 16, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa facultate ferendi suffragia sive per epistulam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

*Canon 18 (CIC 164)*

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

*Canon 19 (CIC 165)*

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet, salvo legitimis privilegiis.

*Canon 20 (CIC 166)*

Si quoquo modo libertas electionis impedita fuerit applicetur can. 4.

*Canon 21 (CIC 167)*

- § 1. Nequeunt suffragium ferre:
- 1° Incapaces actus humani;
  - 2° Minores sexdecim annorum;

3° (circa infamiam iuris res accommodabitur ad ea quae in Coetu de poenis statuentur);

4° Qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium;

5° Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive ob legitimam iudicis sententiam.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

*Canon 22 (CIC 169)*

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1° liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2° secretum, absolutum, determinatum, certum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

*Canon 23 (CIC 171) olim 24*

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa diribeant palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schemulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destrantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

*Canon 24 (novus)*

§ 1. Si ad normam iuris aut statutorum Collegii aut coetus, electio per epistulam fieri valeat:

1° singuli electores suffragium ferant in schedula ad hoc sibi missa;  
2° provideatur ut constet suffragia ab electoribus ipsis lata esse utque secretum suffragationis servetur; quare, nisi aliud statutis determinetur, electores schedulam immittant in involucro, propria subscriptione munito;

3° schedulam mittant Collegii aut Coetus Praesidi, ante terminum ab eodem praefinitum; quo termino elapso, suffragium non admittetur;

4° suffragia diribeantur coram Collegii aut Coetus Praeside a scrutatoribus ad normam statutorum designatis;

5° exitu suffragationis obtento, schedulae collectae ac sigillo munitae per annum saltem serventur.

§ 2. Si querelae moveantur ab electoribus ex suspecto dolo in suffragiorum expensione, coram Collegii aut Coetus Praeside aperiuntur involucra recognoscanturque schedulae, praesentibus saltem electoribus qui querelam moverunt.

*Canon 25 (novus)*

Si ad normam iuris electio facienda sit a certa populi christiani parte, auctoritatis competentis est statuere normas quibus procedendi modus ordinetur, ea quidem lege ut:

1° elenchus eorum quibus ius est suffragium ferendi componatur publiceque notus fiat;

2° suffragantium libertas in suffragio ferendo tuta habeatur;

3° de singulorum latis suffragiis secretum caute servetur;

4° suffragiorum diribitio exitusque determinatio secundum rerum veritatem, quibuscumque exclusis insidiis, perficiantur.

*Canon 26 (CIC 172) olim 25*

§ 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constanti, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, condiciones compromisso appositas, iuri non contrarias, observare; condiciones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur.

*Canon 27 (CIC 173) olim 26*

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromittentes:

- 1° revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2° non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3° electione absoluta, si fuerit nulla.

*Canon 28 (CIC 174) olim 27*

Is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 7.

*Canon 29 (CIC 175) olim 28*

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui, nisi aliud iure particulari aut statutis provideatur, debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eadem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittitur nec subsequenti acceptatione convalescit; ipse rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedat.

*Canon 30 (CIC 176) olim 29*

Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

*Canon 31 (CIC 177) olim 30*

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti per se vel per alium petat; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 3. Facta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.

§ 4. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

*Canon 32* (CIC 178) olim 31

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.

### Art. III - DE POSTULATIONE

*Canon 33* (CIC 179) olim 32

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant, impedimentum obstat, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

*Canon 34* (CIC 180) olim 33

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

*Canon 35* (CIC 181) olim 34

§ 1. Postulatio intra octiduum mittatur auctoritati competenti cuius est electionem confirmare; quae si dispensandi facultatem non habeat dispensationem ab auctoritate superiore petat; si non requiratur confirmatio, postulatio mittatur auctoritati competenti ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.

§ 3. Postulato nullum ex postulatione ius acquiritur; auctoritas competens nulla obligatione tenetur postulationem admittendi.

§ 4. Praesentatam auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi eadem auctoritate consentiente.

*Canon 36* (CIC 182) olim 35

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum redit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondeat ad normam can. 29 § 1 (CIC 175).

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, plenum ius statim in officio acquirit.

Caput II - DE AMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

*Canon 1* (CIC 183)

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

1. DE LAPSU TEMPORIS

*Canon 2* (novus)

Is, cui ad tempus praefinitum officium ecclesiasticum collatum fuerit, elapso hoc tempore, officium amittit, nisi in eodem iam confirmatus fuerit.

*Canon 3* (novus) olim 2

Qui expleverit aetatem, qua impleta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

## 3. DE RENUNTIATIONE

*Canon 4* (CIC 184) olim 3

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta.

*Canon 5* (CIC 185) olim 4

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, ipso iure irrita est.

*Canon 6* (CIC 186-187-189-191) olim 5

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non iniuxam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, ut effectum sortiatur, intra tres menses acceptari debet; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

## 4. DE TRANSLATIONE

*Canon 7* (CIC 193) olim 6

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

*Canon 8* (CIC 194) olim 7

§ 1. In translatione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice captam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Remunerationem priori officio adnexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonicè capiat.

## 5. DE AMOTIONE

### *Canon 9 (olim 8)*

Ab officio quis amovetur sive decreto auctoritatis competentis ad normam iuris, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure.

### *Canon 10 (olim 9)*

§ 1. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad nutum auctoritatis competentis, potest quis qualibet iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 2. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 3. Eadem norma § 2 valet ut ab officio, quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est, salvo can. 14, § 2 (de potestate ordinaria et delegata).

### *Canon 11 (olim 10)*

§ 1. Ipso iure a quolibet officio amovetur:

1° qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2° qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3° qui aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatible acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit, salvo canone 7, § 2;

4° qui professionem religiosam emisit, nisi de consensu auctoritatis competentis atque Superioris religiosi, officium retinere possit;

5° qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

6° qui, contra iuris praescripta, officium deseruerit;

7° qui residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detentus,

intra congruum tempus ab auctoritate praefinitum, nec paruerit nec responderit.

§ 2. Ipso facto ab officio clericali amovetur:

1° qui statum clericalem amiserit;

2° qui militiae saeculari nomen sponte dederit.

§ 3. Amotio de qua in §§ 1 et 2 ut urgeri valeat requiritur ut de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

*Canon 12 (novus) olim 11*

Si quis per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas curare debet ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

## 6. DE PRIVATIONE

*Canon 13 (novus) olim 12*

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

